Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1007
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

consideranda est. seductis certis quae sententiis, quae cum incertae vera connexione iunguntur.
et ipsae certae fiant necesse esse. Quidam autem sic se iactant, cum veritatem connexionum didi
cerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et item rursus quidam plerumque retinentes veram
sententiam male se contemnunt, quia leges conclusionis ignorent, cum melior sit qui
novit esse resurrectionem mortuorum, quam ille qui novit consequens esse, ut si resur
rectio mortuorum non est, neque Christus resurrexerit. Item scientia definiendi, dividendi
atque partiendi, quamquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen
falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta. Non enim
quia et fabulis suis eam poetae et opinionibus erroris sui vel falsi philosophi vel
etiam haeretici, hoc est falsi christiani, adhibere consueverunt, propterea falsum est,
neque in definiendo neque in dividendo aut partiendo aliquid complecten
dum esse, quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod pertinet praetereundum. Hoc verum
Diffinitio falsi. est, etiam si ea quae definiuntur aut distribuuntur vera non sint. Nam et ipsum falsum
definitur, cum dicimus falsam esse significationem rei non ita se habentis ut significatur, sive alio
duobus generibus falsi. aliquo modo; quae definitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit. Possumus etiam
dividere dicentes duo esse genera falsi. Unum eorum quae omnino esse non possunt. alterum
eorum quae non sunt quamvis esse possint. Nam qui dicit septem et tria undecim esse, id dicit quod
omnino esse non potest; qui autem dicit kalendis verbi gratia ianuariis pluisse, tametsi
factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio ergo et divisio falsorum potest esse
rethorica verissima, quamvis falsa ipsa utique vera non sint. Sunt etiam quaedam praecepta uberioris dis
putationis, quae iam eloquentia nominatur, quae nihilominus vera sunt, quamvis eis possint
etiam falsa persuaderi; sed quia et vera possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed
male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, ut caritatis ex
pressio conciliet auditorem, aut ut facile quod intendit insinuet brevis et aperta nar
ratio, et varietas eius sine fastidio teneat intentos. Et cetera huiusmodi observationes,
quae sive in falsis sive in veris causis vera sunt tamen in quantum vel sciri vel credi aliquid
faciunt aut ad appetendum fugiendumve animos movent, et inventa potius quod ita
se habeant, quam ut ita se haberent instituta. Sed haec ars cum discitur, magis ut proferamus ea quae
intellecta sunt, quam ut intellegamus adhibenda est. Illa vero conclusionum
et definitionum et distributionum plurimum intellectorem adiuvat, tantum absit error.